1110. 1

Viro Nobiliſſimo, doctiſſimo & Excellentiſſimo
Summi Moſcoviæ & Ruſſiæ, &tt. &tt. &tt.
Monarchæ Archiatro 58.
S. P. D.
Gerardus Goris. [illegible]

Quod ignotus ignotum meis Litteris inexſpectatis
interpellare sim auſus, Vir præstantiſſime, non
tam debes temeritatem accuſare meam, quam
benevolentiam. Frater ille est meus Mercator
amstelodamenſis, qui meo nomine Excellentiæ Tuæ
exiguum hocce noſtrum offert munuſculum, libellos
nempe geminos unà compactos vario licet idiomate
à me conſcriptos, & quorum alteruter adhuc à partu
rubet. Spero fore, Vir Experientiſſime, ut Tibi
placeant, sicut multis & quidem doctiſſimis ac in
re medica Clariſſimis Viris haud diſplicuerint,
uti ex litteris cominus ac eminus ad me conſcriptis
Tibi Viro Nobiliſſimo perlubenter docere vellem,
cum haud dedignaberis aliquando ad ædes noſtras
accedere.

Ignoſcas

Ignoſcas brevitati mearum Litterarum:
pluribus verbis Tecum agerem niſi pro me
Libelli ipſi loquerentur.
Vale, vive & mihi fave, bonique consulas
has litteras plus quam extemporarias.

Scribebam Lugd. Batavor.
Die .ij. Januarij
CIↃIↃCCXVII.